

Forfatter: Brahe, Tycho

Titel: Inclyte Mavriti ... [Epiram til Moritz af Hessen]

Citation: Brahe, Tycho: "Inclyte Mavriti ... [Epiram til Moritz af Hessen]", i Brahe, Tycho: *Tychonis Brahe Dani opera omnia*, udg. af I.L.E. Dreyer , 1913-29, s. 277.
Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-tycho06tom-shoot-workid54403/facsimile.pdf> (tilgået 23. april 2024)

Anvendt udgave: Tychonis Brahe Dani opera omnia

fic declarabit, sed etiam propensum amantemque animum erga præclaram artem Astronomicam publice ostendet, eritque id præterea C. T. vel eam ob causam, quod C. T. parens multis abhinc annis erga Artem hanc magna delectatione affectus fuerit, plurimumque eius peritus sit, conueniens & gloriosum. Scit proculdubio C. T. inde a Mundi primordijs hanc sublimem scientiam a magnis, & præclarâ intelligentiâ præditis illustribus viris, adeoque Imperatoribus, Regibus & Principibus, prout etiam peculiariter & præcipue a C. T. Parente, ut diximus, excultam & in pretio habitam, nec non requisitis sumptibus & adminiculis liberaliter sustentatam fuisse. Non dubito igitur, quin C. T. similiter ad eam fouendam propensa sit, & excellum animum suum in huiusmodi cœlestibus atque arduis studijs subinde a terrestribus (inter quæ nihilominus versari cogitur) elatum, magis magisque delectet atque acuat, eamque ob causam ita affecta sit, ut superiori meæ petitioni locum apud se clementer concedat. Quamprimum aliqui meorum Tomorum prorsus absoluti fuerint, non saltem C. T. Parenti, siquidem C. E. insigniter ijs delectetur, ac idipsum clementer a me petierit, verum etiam C. T. eorum aliquot Exemplaria communicabo, & sicubi alias C. T. gratum quid præstare potero, quam promptissimum me officiose & reuerenter defero; atque in his C. T. mihi semper prout volet præcipiat. Iamque C. T. DEI Omnipotentis Tutelæ in diuinam prosperitatem fideliter commendatam habeo. Datum Vraniburgi, 20. Februarij, Anno 1592.

INFRA HAS LITERAS TYCHO HOC SEQUENS IPSEMET
SUBSCRIPSERAT EPIGRAMMA. ¶

INCLYTE MAVRITI, sublimibus annue cœptis
Si vacat, atque alio non tua cura vocat:
Nec pigeat nostros venâ illustrare labores
Mellifluâ, tibi quam fautor Apollo dedit.
Non indigna tuo, nec ages aliena Parente,
Qui iura egregie callet amatque Poli:
Nec tibi dedecorum, quia Principis enthea, soli
Haud obstricta Solo mens agat, alta volet.
Adde quod vna nouem Musas, quas diligis, inter
Vrania est, primo conspicienda loco;
Hanc igitur modico si ornâris Carmine, fiet
Cum fratre & reliquo plus tibi amica choro.
Ipse quoque (ut magnis liceat componere parua)
Si mea quid valeat Musula, gratus ero.

Celsit. T. Addictis.

TYCHO BRAHE.

DEM